

periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

VI. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem exstimestentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim jam causae sunt inter se, sed victoriae comparandae. Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus: quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos posset. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si poenas a populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, et tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. Quare gaude tuo ipso tam excellenti bono, et fruire cum fortuna et gloria, tu etiam natura et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus iucunditasque sapienti. Cetera cum tua recordabere, etsi persaepe virtute, tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul saluos esse voluisti,